



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt X. Aroasiensis Congregatio Canonicorum Regularium, per Belgium &
Franciam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

ibidem collocati. Ex qua basilica licet postea pluries fuerint eiectioni, atque iterum regressi; tandem sub Sixto IV. Summo Pōtifice, illius possessionem prorsus amiserunt: non tamen titulum & priuilegia, quę idem Pontifex ipsis concessit, vnā cum monasterio *S. Mariae Paris*, in quo etiamnum Romę sedem ac domicilium habent.

CAPVT X.

AROASIENSIS CONGREGATIO
*Canonicorum Regularium, per Belgium
 & Franciam.*

ANNO 1097. duo pij sacerdotes Conon & Heldemarus Aroasiam monasteriū fundarunt, quod hodie visitur secūdo ferē lapide à Bapalma Artesiæ opido versus fines regni Galliæ. Quo factum vt bellis inter Gallos & Belgas sæuientibus non semel fuerit destructum.

In hac Abbatia tanta fuit olim regularis disciplinæ Observantia, vt illius regimini, quamplurima sese Monasteria olim submiserint & amplissimæ Cōgregationis, inde Aroasiensis dictæ, caput olim exstiterit.

Catalogum porrò monasteriorū, quę Aroasiensi Congregationi paullatim accesserunt, hunc nobis R. P. Franciscus Barrius, Prior Aquicinctinus transmisit.

NOMI-

NOMINA MONASTERIORVM,
*quorum Abbates dextro in latere confi-
 dere solent in congregatione
 solemn.*

TOTIVS congregationis caput & prin-
 ceptus est Aroasiense monasterium.

Beatæ Mariæ monasterium Henniense,
 seu S. Martini de Henniaco, vulgò *Hennius
 Lietart.*

B. Mariæ monasterium Boloniense, fun-
 datum anno 1159. dirutum autem anno 1544.
 ab Henrico VIII. Angliæ Rege.

Monasterium S. Eligij Fontis in Caluiaco,
 aliàs à Caluiaco, Gallicè Chanij.

Monasterium S. Marci, seu S. Nicolai in
 pratis iuxta Tornacum.

Cisoniense S. Calixti monasterium, anno
 octingentesimo trigesimo octavo, à S. Eue-
 rardo Comite fundatum.

Monasterium S. Ioannis Baptistæ, iuxta
 Chocques, Artesiæ pagum in agro Bethu-
 niensi.

Monasterium S. Mariæ à Bello loco, quod
 à monasterio Ioannis iuxta Chocques ini-
 tium habet.

Zunebecanum S. Mariæ monasterium, an.
 1578. per tumultus bellicos dirutum.

Monasterium Sanctæ Mariæ à Castri-
 cijs.

Monasterium

Monasterium S. Ioannis Baptist. in Valentiana Hannoniæ vrbe, quod monasticæ huius suæ institutionis originem traxit à monasterio S. Crispini in Cauea apud Suefsiones, anno III2.

Bartholomæi monasterium Brugense, quod Latinè Quercetum, Flandricè *Oechoudt* nuncupant; quòd monasticæ huius suæ institutionis originē habuit à monasterio S. Marci siue S. Nicolai in pratis, iuxtà Tornacum, anno 1050.

Bethleemeticum monasterium in Alemania.

S. Patritij monasterium in Hibernia. fuit illud, vt arbitror, olim situm in primaria vrbe Dubliniési. Constat enim ex Actis S. Laurentij Archiepiscopi Dubliniensis, ipsum Canonicos seculares in Canonicos regulares Aroasiensis Ordinis transformasse. Vide Surium 14. Nouemb. Tom. 6.

NOMINA MONASTERIORVM,
quorum Abbates ad sinistrum latus sedent in comitijs solemnibus.

Monasterium S. Mariæ à Nemore, nunc Guisseauuilla, aut Kiuouilla, fundatum à Dominis seu Toparchis Creciacensibus, cuius Abbas dicebatur Prior, vt loquuntur, Congregationis Aroasiensis.

Monasterium S. Crispini in Cauea apud Suefsiones.

Mona-

Monasterium S. Vulmari Bononiense,
in Gallia, ab Henrico VII. Anglię Rege di-
rutum.

Monasterium S. Leodegarij apud Suefsio-
nes.

S. Amandi monasterium Mareolense, apud
apud Atrebatū, à S. Bertilia virgine fundatū.

Monasterium à Claro Fageto.

SS. Petri & Pauli monasterium Varneftu-
nense, vulgò V Varnefton.

Castellionense monasterium, quod ori-
ginem habet à monasterio B. Marię in Ne-
more.

Monasteriorum à Dodellieuilla, feu Do-
deuilla.

Monasterium S. Marię à Sagano in Silesia,
& diocesi Vratislaviensi; cuius monasterij
Abbas Alardus VIII. Kalen. Maij defunctus
notatur, in Catalogo feu libro defunctorum
monasterij Aroasiensis.

Monasterium S. Christophori Fanopi-
nense, feu Falenpinense fundatum ann. 1039.
apud Insulas Flandrię urbem.

Monasterium S. Marię & S. Huberti in
atrio in Vosago, aliàs ab Alteriaco.

Monasterium Dulcis Vallis, iuxtà Mid-
delburgum Flandrię oppidum, quod Meye-
rus an. 1215. vult conditum, sumptis initijs in-
stitutionis ex Brugensi S. Bartholomęi mo-
nasterio.

Diru-

Dirutum est autem anno 1578. per tumultus bellicos.

Atque in hoc quidem Catalogo, non nisi sex & viginti monasteria, præter Aroasiense, recensentur; cum alij tamen velint octo & viginti monasteria Aroasiensem Abbatem agnouisse.

IACOBI VITRIACI CARDINALIS
testimonium de Canonicis Regularibus
congregationis Aroasiensis.

SVNT alij regulares Canonici, qui *de Aroasi* nuncupantur; eo quòd prima huius institutionis Abbatia, quæ caput est omnium aliarum, sic vocetur, in diœcesi Atrebatensi sita. Hi siquidem fundamentum regulæ B. Augustini retinentes, vt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs arctiùs crucifigerent, carnes à refectorio suo subtraxerunt. Camisijs insuper non vtuntur, sed cum tunicis lanceis nocte in dormitorio suo quiescunt. Quasdam etiam alias institutiones necessarias & honestas suprâ prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminetia pericula sibi præcauētes, addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem religionis conseruat, vbi plures sunt Congregationes & Conuentus, quàm respectus ad vnum superiorem, qui diuersa sub se membra regit & continet, quasi summum & supremum caput; semel
in anno

in anno sub primo & principali Abbate generale Concilium celebraturi conueniunt, vt omnes vnanimiter huius ordinis Abbates, secundum quod religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, refecent superflua, instituant & addant quæ fuerint superaddenda, vel secundum temporum aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent, & nouis superuenientibus ita vetera reijciantur, quod vetustissima veterum, prima scilicet antiquorum Patrum instituta, firmiter & inuariabiliter obseruentur. Principalis siquidem Abbas filias suas, inferiores scilicet Abbantias per se, vel per viros idoneos studiosè visitando, quantum religioni subministret fulcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per dissolutionem status religionis eneruatus corruat, ex his liquet conuentibus & congregationibus, quæ ex vno tantum Abbate pendentes, & vni soli superiori intendentes, cum corruente plerumque corruunt, cum non habeant vnde alias fulciantur. Væ siquidem soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem. Funiculus autem multiplex non facilè rumpitur: frater enim fratrem adiuuans, est quasi ciuitas munita. Si autem corrupto capite ad Prælatos sæculares membra recurrerint, Scyllam fugientes, frequenter Charybdim incurrerunt, & fugientes arma ferrea, in arcum æreum incide-

ciderunt. Quidam enim Ecclesiarum Prælati regularium dissensionibus tantò magis exultant, quantò velut in aqua turbata copiosiorē reperientes piscationem, ab altera vel vtraq; parte hac occasione pecuniam emungere non formidant. Quod si fortè iustos & timoratos inuenerint Prælatos, qui ab omnimunere manus excutientes, eorum partes intercedente pecunia, fouere renuerint, tandem facta ad Dominum Papam appellatione, discurrendi & euagandi materiam libenter inueniunt, & inutilibus expensis ex vtraque parte miserabilem domum eorum obligantes, redditus copiosos & amplas plerumq; consumunt possessiones. *Ita Vitriacus in sua Historia Occidentali.*

Cæterùm floret hodieque Abbatia Aroasiensis, vt & alię Abbatia eiusdem olim Congregationis, sed proh dolor! desijt illa societas, siue vnio, nec annum amplius capitulum à Congregatione Aroasiensi, vtpotè extincta celebratur.

CAPVT XI.

ORDO SEV CONGREGATIO Canoniorum regularium S. Rufi,
in Gallia.

CONGREGATIO Canoniorum regularium S. Rufi, (quem alij Arnulfum nun-